



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

38. Hesychivs in multis hærens tenetur dubia, vt dubia confiteri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**



ni Ecclesiastici, qualis est Maurus Abbas, sed tantum Laici, ut docet Pax Iordanus *volum. 2. cit. L. 10. tit. 29. n. 11.* aiens, hoc liquere ex Trident. *decreto sess. 24. de Reform. cap. 15.* quod unicum videtur obstare. In eandem sententiam citantur Abbas, Felinus, Azor, qui aiunt, à Concilio nullam fuisse rationem habitam Patroni Ecclesiastici, sed tantum Laici.

Ad Authoritatem & fundamentum oppositæ sententiæ dicimus, in illis supponi, Ecclesiâ adhuc integrâ, & non funditus destructâ, Patronum esse neglectum, quod secus se habet in casu nostro, ut ex dictis liquet.

XXXVIII. *Hesychius in multis dubius hæret, num scilicet consensum morosæ delectationi dederit? num mortaliter detraxerit? num alienum retineat &c? Queritur. An hæc confiteri debeat?*

Videtur non teneri. Ita Marchant. *in Trib. Sacrm. Tr. 4. 4. tit. 6. q. 5.* Caramuel. *in Theol. Mor. L. 3. D. 4. n. 1078.* & alij. Prob. Tum authoritate Concilij Tridentini, quod *sess. 14. c. 5.* ait, oportere à pœnitente omnia mortalia dici, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet. Atqui dubitans, an verè peccaverit, nō potest dici, habere conscientiam peccati; etenim habere conscientiam, est certum esse de peccato. Tum quia dubius est in possessione suæ innocentiae. Tum quia ad tribunal forense deferri non solent dubia facta, Ergo nec ad Sacrum, Resp:



Resp. Helychium dubium esse posse dupliciter, 1. *positiuè*, si vtrunque adsint rationes probabiles ad ferendum iudicium in vtramque partem. 2. *negatiuè*, quando pro neutra parte adsunt rationes ad probabilem assensum huius vel illius partis. Si igitur Helychius dubitat *positiuè*, seu iudicat *probabiliter*, se grauius non peccasse, non tenetur confiteri: secus si dubitat *negatiuè*. Priorem partem admittunt plerique omnes; quia talis sequi potest opinionem probabilem, sicut in alijs materijs, eo enim ipso operabitur humano modo prudenter.

Posteriores partem, de qua est quæstio, peccata scilicet dubia, *vt dubia*, esse confitenda, tenet planè communis Theologus, cum S. Thoma in 4. Dist. 21. q. 2. art. 3. *ad tertium*. vt videre est apud Franc. Bardi *Discept. 6. de conscient. dub. cap. II. part. 4. § 1.* Ratio desumitur tum ex communi sensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium credendum est emanasse ab Apostolis, vt pluribus ostendit. *Auth. n. 5.* Tum quia Sacramentum pœnitentiæ potuit institui cum obligatione confitendi peccata dubia; & sic de facto institutum esse à Christo, colligitur ex prædicto consensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, quæ est optimus legum interpretes.

*Ad primum in contrarium dicimus, eum, qui post diligens sui examen dubitat, num peccâ-*



rit, habere verè & propriè conscientiam de illo peccato licet dubiam; vnde autem constat, Concilium requisivisse certam? Ad secundum, axioma illud non habere hîc locum, cùm præceptum confessionis prævaleat, ideòque possessio non faveat. Ad tertium, forum pœnitentiale, vt in multis alijs, ita & in hoc diuersum esse à forensi. Nolim tamen ob hæc tanquam improbabilem reijcere sententiam contrariam, quam etiam tuetur P. Ioan. Præpositus de Sacr. q. 5. de Integritate Confess. num. 118. vbi ait, eam speculatiuè probabilem esse visam P. Lessio, & quibusdam alijs à se consultis; eandem maiore authoritate stabilit Diana P. 11. Tr. 8. Res. 44. quamuis idcirco, in praxi non sit recedendum à communi sententia, quæ vult, dubia ista confitenda esse.

XXXIX. *Hilarius Sacerdos ex nullâ peculiari causâ orat subinde totum Breuiarium summò mane: subinde serâ primum nocte, cum tamen manè celebrasset; accidit etiam, vt lusu & confabulatione præpeditus inciperet Breuiarium circa medium duodecimâ noctu pro illo die, & finiret illud mediâ circiter horâ post duodecimâ iam auditam. Queritur. Vtrum peccârit mortaliter?*

Videtur sic peccâsse. Tum quia celebrat antè matutinum contra prohibitionem Pij V. in Missali, & plures Theologos apud Sanchez L. 7. Consil. cap. 2. dub. 28. Tum quia absoluit Breuiarium post tempus præfixum iam elapsum.